

QK. 188, 30.

Yc  
965

IOANNIS MARTINI  
RIEDEL  
CON-RECTORIS PAEDAGOGII  
ILFELDENSIS  
ORATIO  
DE  
DISCIPLINA ET LIBERTATE  
SCHOLASTICA  
QVAE ILFELDAE FLORET

NORTHVSAE  
LITTERIS COELERIANIS  
CICIDCCXXVIII

\*



IMPRIMATVR  
vi commissionis  
PHILIPP. LVDOV. BOEHMER D.  
Reg. et Elect. Consil. Consistor.  
et General. Superint. in  
Ducatu Cellensi.

**S**EXTVS iam effluxit annus, ex quo VIR multis in rem litterariam meritis insignis, GEOR- GIVS NICOLAVS KRIEGK, quo stante incolumi, intemeratum stabat lycei huius decus, tam misere decubuit, vt morbus, qui omnem disertissimae quondam linguae vsum totiusque corporis, admirandae mentis domicilii, fructuosissimum antea vigorem intercipit, vel exquisitissimis nihil quicquam concedat remediis, et omnino insuperabilis esse videatur. Lenit, quam exinde persentiscimus afflictionem, inexhausta DEI bonitas, quae non solum praeceptores reliquos, discipulosque, si vnum excipiamus, vniuersos per hos sex annos ab omni grauiore corporis imbecillitate custodiuit, neque in cursu liberali sufflaminari passa est; verum etiam, ne quid ab ingenti illa, quae vix, ac ne vix quidem reparabilis esse videtur, iactura, in vniuersam scholae constitutionem redundet calamitatis, diuina cauit prouidentia. Adsequimur etiam atque etiam, quam laboribus nostris praefixam habemus metam, inque sinu gaudemus, dum haud paucos in disciplinae alumnis deprehendimus, qui, DEO clementer fortunante,

A

vir-

virtutis et studiorum incrementa in dies capiunt. Emanant haec bona, si a DEO clementer fortunante, augustissimo Rege benigne protegente, illustri Administratore, et venerabili Ephoro sollicite prospicientibus discesseris, ex fonte *disciplinae*, et recte usurpatae *libertatis scholasticae*: qua de re vobiscum, iuvenes ornatissimi, agam singulariter, et disciplinam ac libertatem, quae sanam mentem, in corpore sano, vobis, DEO propitiante, conseruat, paucis exponam. Vos autem, auditores optimi, non dedignemini, quaeso, illa, vobis licet satis nota, numquam tamen satis inculcanda, benigne accipere: audiendi, quod suboriri posset, taedium, breuitate effugere adlaborabo.

Quemadmodum in re publica *disciplina*, aeternum illud, quod vniuersum mundum in officio continet, vinculum, est summe necessaria; ita haec pariter requiritur, et efflagitur in domiciliis litterariis, vbi studiis deditos fluctuare, vagarique necesse est, nisi illa, simul cum artium liberalium doctrina, accesserit. *Disciplina* est curata et efficax imperandi, prohibendi, debitamque obedientiam exigendi sapientia: ex hac omnes bonae leges flu-

fluunt, hac sola etiam constant, ad salutem civium, ciuitatum incolumitatem, vitamque omnium ac singulorum quietam et beatam. Vbi lex non est, quam sine disciplina vanam, immo nullam esse persuasum habeo, ibi neque tranquillitas, neque beatitas esse potest. Praecipendi igitur et obtemperandi in litterariis quoque secessibus, docto otio dicatis publicae felicitatis seminariis, certus debet esse modus. Hic legibus nostris egregie praescriptus, sollicita in singulis attentione obseruatus, et iusta *libertate* temperatus, educationis, quam iuuentuti nobis traditae praestamus, summa est.

*Disciplina* huius lycei potissimum *pietatem* erga DEVM, quae totius educationis fundamentum est; deinde etiam *honestae vitae officia*, *moresque decoros* exigit: quo spectant virtutes, quibus iuuenes mirifice ornantur: *obedientia*, *modestia*, *veracitas*, *ingenuitas*, *sobrietas*, *castitas*; *adsiduitas in doctrina perficienda*; *studium discendi*; *cultura morum in schola, extra scholam, ad mensam*; *fuga familiaritatis nimiae*; *decora agendi ratio cum vniuersis*. His cancellis circumsepta disciplina Ilfeldensis paedagogii; hic est circus, in quo nostri decurrunt; hic limes, quo si quis contineri recusat, heic ne

tolerari quidem potest. Has virtutes quilibet amplexari et fouere debet, et vitia iis opposita summo studio odisse, et euitare.

Ita praecipit ipse optimus, sapientissimus, et iustissimus opifex et *auctor naturae et rationis humanae*, DEVS, cuius mandatis refragari velle, summae esset malitiae, et temeritatis. DEVS vult nos disciplina domari, et retineri in officio; qua de re *diuina* passim *oracula*, monitorum, et hortationum exquisitissimarum plena, testantur. Neque vero, vel solum *naturalis rationis lumen* intuenti dubium est, nos ad piam honestamque disciplinam esse factos. Enimvero, cuiuslibet nostrum natura inditum discrimen honestorum et turpium esse, quis nescit? id quod ab vnoquoque non perfunctorie, non oscitanter, vti vel a praestantissimis iuuenum ingeniis, si disciplina absit, fieri adsolet; sed saepe, diligenter, etiam atque etiam considerandum, ne frena laxando, obliuiscamur nostrae *conditionis, dignitatis, et praestantiae*, quod simus *homines*. Atqui vero ipsa structura et *fabricatio corporis humani* ad id ipsum hortatur nos, inuitat, adlicit, trahit, deducit. Ita enim natura hominis condita, vt nerui motibus voluntatis imperantis

rantis obtemperent , quo gubernatio externorum membrorum, et electio actionum moralium in nostra sit potestate. Praeter ea non vt cetera animalia oculos in terram defixos, et ad pastum abiectos gerimus; sed erecti incedimus, et ad caeli, quasi cognationis domiciliique futuri, conspectum excitati sumus, vt sequamur DEVM, et ad eum honestate vitae quam proxime accedamus.

Haec dum animis nostris reuoluimus, simul illud versetur nobis ante oculos , quod nullum sit maius *ornamentum*, et nullum augustius in tota vita *decus*, quodque plus honoris et admirationis mereatur, quam virtute et disciplina excellere. His ad diuinae imaginis similitudinem reformantur mortales. Vitae turpitude , et disciplinae neglectus terribile et pessimum dedecus est, quo adeo homines deformantur, vt non solum ferarum mores induant, et nihil, aut parum, a brutis animantibus differre videantur, sed vel ipsam pessimi daemonis horrendam expriment effigiem.

Ita cum hominum animis comparatum est, vt spe commodorum vel deliciarum validius ad recte agendum, et ad id quod turpe est fugiendum, moueri

ueri atque excitari soleant. Hinc neutiquam dubitandum, sicut aliarum rerum omnium a benignissimo creatore conditarum, ita quoque honestae *disciplinae fines* esse certos, maxime *utiles*, et *iucundos*, qui saepe considerandi, et iuuenibus proponendi sunt, vt spe et cupiditate emolumentorum et delectationis ad honestae disciplinae amorem incendantur. Perennis omnium et singulorum felicitas vnicus est bonae disciplinae scopus. Virtus ipsa mercedem, vitium poenam sui, velut vmbra inuitabilem, vel secum ferre, vel post se trahere, naturali rerum serie adsolet. Praemiis vel in hac etiam vita eos adficit benignissimum numen, qui a morum prauitate auersi disciplinae se se obediētes praestant, ita, vt eos vltra vulgarem sortem euehat, vitam ipsis largiatur suauem et tranquillam, resque ipsorum omnes diuina benedictione fortunet. Quicquid vero etiam mortalis vita, mundi-que deprauati commercium minetur incommodi, id bonae conscientiae murus aheneus, diuinaeque auxilii turris inexpugnabilis, et aeternae gloriae, aeternae voluptatis, aeternae opulentiae spes perfectissima securos spernere iubet. Ille profecto a

DEO



DEO numquam deseritur, qui, quantum fieri potest, DEO similis euadere cupit.

Sola vero est, quae sanctum hoc desiderium vere in nobis excitare possit, Christiana religio: solus est, qui et inspirat illud, et viuum recte agendi ardorem conseruat sacro - sanctus DEI SPIRITVS; donum summi numinis incomparabile: quod ne, cum praesentis et aeternae postmodum felicitatis dispendio, amittamus, *pietate* sincera, cultu DEI religioso, precibusque adsiduis sollicitè enitamur, necesse est. Quicquid boni vel in praesenti vita expetendum, vel sperandum est in futura, id omne pietas pollicetur; adeo vt opus non sit praesidium vllum aliunde nobis venari. Qui igitur hic sunt recepti, et hoc in contubernio agere cupiunt, ante omnia pietatem in DEVM optimum, maximum ostendant oportet; duce verbo in scripturis sacris manifestato religiose DEVM colant; precibus ordinariis, siue in templo, siue in auditoriis, mane ac vesperi instituantur, deuota DEO mente intersint, et, quae ex sacris litteris leguntur, et explanantur, attente et cum pia animi obseruantia exaudiant; publico summi Numinis cultui priuatum coniungant;

gant; si fuerint soli in museis, omnes suas actiones atque operas a precibus incoent, precibus finiant, et ad DEI referant gloriam, immo reuerendam huius praesentiam quolibet in angulo ponant sibi ob oculos. Sal est et anima virtutum pietas, supra omne litterarum nomen aestimabilis, quae si in hac bonarum mentium officina neglectim habeatur, ruant bona omnia, ferocia, et petulantia repullulet, oportet.

Si recedimus a pietate, disciplina nostra constat *officiis vitae, et decora morum praestantia*, quae inprimis complectitur *obseruantiam* erga eos, quibus discentes satisfacere omni pietate et officio necesse habent. Doctores suos, a quibus ad veram sapientiam informantur, ament potius, quam metuant, inflammati vno studio virtutis; neque verbis solum, sed et opere colant, et obsequio labores illorum adsiduos faciant tolerabiles. Philosophus (\*) quondam ex praecipuis adolescenti, cui apud illum philosophiae studia Conficere mens erat, explorandae erga se obseruantiae et fiduciae caussa, pernam dedit deferendam, ac se sequi iussit: at ille, in re a suo consilio aliena  
visa,

(\*) *Diogenes*

visa, disciplinae impatiens, abiecta, quam ferebat, perna, abscessit: sed post aliquando occurrens illi philosophus, tuam et meam, inquebat, amicitiam perna dissoluit. Intellexit summus philosophus, eum nequaquam bonum fore discipulum, qui proprio iudicio nimium fisis praeceptoris moribus ac mandatis se non accommodaret, ac in licitis et honestis suum denegaret officium. Obedientibus heic discipulis in iis etiam rebus, quae iuuentutis nondum emendatae consiliis haud attemperatae forsitan videntur, gaudere debemus, qui de praeceptis nostris bene sentiant, neque de his, instar calumniatorum, maledicant, aut confictas iniurias, siue coram, siue per litteras, referant: quemadmodum exulceratae mentis quidam iuvenes mellea optimorum praeceptorum beneficia venenatis ictibus interdum remunerantur. Increpationes, castigationes, poenas commeritas aequo animo ferant, et vitam modo, quidpe quod vnum per eas quaeritamus, emendent. Contumacia et irreuerentia regnante, nulla vigere potest disciplina. Peruicaciae comes est ingratus animus. Vnde fit, vt eiusmodi furfuris homines nec agnoscant adhibi-

B

tam

tam diligentiam, collata beneficia nec praedicent, nec compensent; sed potius malefacta benefactis refundant, comminentur, conuitia faciant, et, vel mali daemone more, strenue mentiantur. Obedientia non cadit in malos, aut leues, vagosque animos; sed in probos, adspirantes ad salutem, et in recto doctrinae ac virtutis tramite constantes. Apud Romanos, inclutam virtutis ac doctrinae gloria gentem, ita erat comparatum, vt numquam quid indecori committere, ac ne oscitare quidem liceret scholasticis, si praesentes essent praeceptores: grauius alias in eos animaduertebat censorum officium. Haud ad eam vsque procedere nobis lubet seueritatem: amanter potius nostros admonemus discipulos, ne quid, vel praesentibus, vel absentibus doctoribus, committant, quod mentem nostram, ipsorum bonis tam sincere studentem, affligat. Sicuti inobedientia vrbes perdit, et vastas domos facit; ita labefactat quoque scholas, et diruit. Obedientia, vti (\*) orator antiquus sapienter monet, mater felicitatis est. omnia cedunt feliciter, si obediunt, qui debent, et vt iubentur.

Postea-

(\*) *Aeschines: Παιδαρχία γὰρ ἐστὶ τῆς εὐπραξίας μητρὶς.*

Posteaquam vero nulla alia via ad obedientiam, atque inde ad sapientiam, et virtutem ducit, quam quae *modestia* aperitur; haec in nostris hominibus praeleceat, et per illam hoc loco a profana plebe discriminentur oportet. Sapientiae principium esse, si quis stultitia careat, vere dudum sapientes edixerunt: nihil vero est, quod stoliditatis insipientis ita mereatur notam, quam si quis sibi immodeste sapiat, et a praemonstrata a prudentioribus virtutis femita, in auia quaeque, quo praefracti animi desideria ducunt, deflectat. Atqui ipsa virtus nihil aliud, quam quaedam modestia, siue seruandi modi prudentia est. Belluinum esse censetur sequi impetus; voluntati suae diffidere, et sapientiori parere, eius est, qui ratione vtitur, qua homines praecipue aestimamur. Nam qui commune cum brutis animalibus habemus corpus, communem adpetentiam, animo solo, adpetituum moderatore, naturam eorum supergredimur, et adprobamus esse, quod adpellamur. Hunc ergo qui excolunt, et exornare doctrinis, praeclarisque virtutibus instruere student, rem dignam homine faciunt. qui seruiunt corpori, et

voluptatibus donant aetatem, digni non sunt, qui in societatem huius laudis veniant. Ratio modestiae magistra est, et moderatrix eorum, quae quis gerit, et loquitur. et quemadmodum nisi ratione nemo venit ad modestiam, ita sine modestia ad virtutem venit nemo; neque errabit, opinor, qui in modestia virtutem habitare dixerit.

Ita ex hoc fonte sua sponte enascentur reliqua omnia, quae disciplinam nostram exigere supra praestituimus, iuuenum ornamenta: *veritatem et candorem* verbis factisque omnibus expriment; *temperantia et continentia* purum SANCTO SPIRITUI servabunt domicilium; in *eruditione exquisitiori comparanda adsiduos*, et in indefesso *discendi ardore* constantes se se demonstrabunt. Quid dicam de *cultura morum* (\*) ubique ostendenda? Auditis in dies singulos, o iuvenes, quod bonorum morum experti beneficiis huius paedagogii indignus existimetur; neque quicquam praeclarius nos arbitrari, quam nostros decentibus moribus institui. Si, quod merito efflagitamus, obtem-

(\*) Videatur CHRISTOPHORVS HAGENDORPHINVS *de instituenda vita et moribus corrigendis iuuentutis*, Lutetiae ex officina Rob. Stephani. CIO IO X LV.

obtemperandi officium immodeste haud recusatis, recte et decenter omnia fiant necesse est. In *mensa*(\*) sicuti alibi, ita maxime, pietas, modestia, temperantia, *boni mores* cognoscentur; petulantia, scurrilitas, et omnis morum foeditas exulabit; musea, cubicula, libros, lectos, et reliquam supellectilem mundam habebitis; neque *extra*, neque *intra scholae pomoeria* cum quoquam *nimum familiariter*, aut petulanter, sed *cum quibuscumque* cuiusvis ordinis ac loci hominibus ea cum *humanitate*, *facilitate*, *morumque elegantia* versabimini, ut aliis, tum de scholae huius disciplina, tum de vestra ipsorum doctrina ac virtute, egregia quaevis sentire in promptu sit.

Quod si igitur iuvenes probae indolis, et iam domi ad modestiam et obedientiam instructi huc peruenerint, qui magis duci se, quam trahi patiantur, in iis facili opera praestari poterit, quid recta in moribus ac doctrina institutio possit efficere. Sin dissimilibus, vel ex parte iam corruptis sint *ingeniis*, ad eorum *varietatem* accomodamus disciplinam: non seueram illam, sed qua fieri potest, suauitate mitigatam.

[\*] Vide IO. SVLPITIVM VERVLANVM *de moribus in mensa*, Parisiis MD LXXIII.

gatam. Quemadmodum amara medicamenta dulcibus succis temperare solet medicus, vt, sub delectationis miscela, vtilitatem propinet; ita praceptor, qui castigationis acerbitatem mansuetudine corrigere nouerit, procliuēs in deteriora, vel et praecipitio iam abreptos iuuenum animos ad frugem meliorem reducendo, omne saepenumero tulisse punctum praedicabitur.

Qui igitur sequuntur, qui obtemperant disciplinae eiusmodi, innumerabilia *commoda* et fructus percipiunt. Experiuntur DEI ipsius gratiam, successum in studiis, amorem doctorum; consequuntur ornamenta doctrinae, virtutis, sapientiae, laudis; et ita aliquando tum rei publicae, tum sibi suisque caritatibus honestissimam, gratissimam, vtilissimam nauabunt operam. Nonne igitur haec conueniunt singula, nonne vestri emolumentum causa praecipiantur quotidie, et inculcantur, iuuenes?

Sed quanta *difficultates* obiectae sunt olim, et obiciuntur etiamnum vtilitatum feracissimae disciplinae hoc in paedagogio seruandae. Est profecto perquam difficile, corruptam et distortam quorundam *naturam*, quam in hunc locum adtulerunt,



runt, emendare, aut expellere: etiam furca si con-  
 nitaris, idemtidem recurret. prauitas quorundam  
 et contumacia tanta est, vt immutari nequeat. quo-  
 rumdam etiam ea est ingenii tarditas, vt hoc natu-  
 rae vitium corrigere immensi laboris fit: et tamen  
 tentanda correctio, et quod natura denegare vide-  
 tur, id adsiduitate studii pensandum est. Vitio-  
 sam naturae propensionem excipit *educatio* in pater-  
 na domo molliter aut negligenter facta. ingens pro-  
 fecto disciplinae obstaculum. Istiuscemodi depra-  
 uatos homines huc interdum missos inuenimus, qui  
 stirpem ac semen mali domo ad nos adtulerunt;  
 quod quum euellere tentauimus, indignatus fuit  
 homo adolescens, reluctatusque, et iniuriam sibi  
 fieri conquestus est. igitur ad parentes recurrit, eos-  
 que, et nescio quos alios, patronos inuenit. Hac  
 ratione nullus locus relictus emendationi; doctorum  
 conditio dura et operosa, infructuosa nihilominus,  
 et ingloria facta est. abire hinc, et excedere melio-  
 rum consortio iubendum tandem fuit inemendabile  
 eiusmodi malum. Impedimentum disciplinae  
 grande est *mali copia exempli*; quidquid lubrica aetas  
 vitii in paterna fieri domo, aut quidquid in scholis  
 fusc-

fuscipere videt alios , lubens facit , et fuscipit fimiliter ; quae tamquam egregia praemonstrari cernit, iisdem delectatur , eadem exprimit. Aduersa alia, quibuscum conflictatur bona huius scholae disciplina, ne fastidium creem, praetermitto. Cum tot tantisque rei scholasticae morbis dimicandum est doctori: neque nisi sollicita cura et taedioso labore haec sanioris disciplinae venena sanari , aut euelli radicitus possunt.

Solatio tamen id nobis esse potest, quod sub eo versemur DOMINO, eo ADMINISTRATORE, eo EPHORO, qui sapienti adhuc prouiderunt cura, et prospicient in posterum, vt omnimodo illibatus, et quauis relictatione inconcussus piae disciplinae suus constet vigor. Pergemus, praepotenti DEI confisi auxilio, officium docendi et disciplinae stabiliendae omni fide exsequi, non odiis, non difficultatibus, non impedimentis deterriti. DEVS, cuius res, inque cuius honorem omnia agimus, aderit nobis sua gratia, et opitulabitur. Ita speramus, ita confidimus.

Sed prouocant me querulae quorundam voces, quae nos ipsos nescio cuius bonae educationi positi obicis insimulant. *Libertatem, libertatem!* clamant: heu,

heu , pristinum iuuentutis scholasticae, iam vero, sic opinari lubet , deperditum decus ! Liberales mentes, liberalia studia, liberalis, et iustae libertatis suauitate temperata decet disciplina. Aequa sane sunt, quae postulatis, o boni! et, si iustitiam ea in re denegatam vobis ostenderitis , restitutionem profecto libertatis in priscam integritatem merito vestro, quasi postliminii iure, referetis. Sed ecquid est, quod queritamini? quae liberae iuuentuti fit iniuria? cuius bonae rei periiit libertas? Mutata, mutata, inquiunt, antiqua sunt omnia. cogimur solito citius blando lectulorum tepore excedere, nec licet amplius imperturbato stertore matutinum prouocare solem. quatuor olim horis praelectionum taedia sustinebamus; quinta iam , oscitationi et pandiculationi quondam relicta, laboribus superadditur. Libertas, libertas amissa venandi, piscandi , aucupandi , discursandi , vagandi per montes, lucos, siluas, fumi inebriantis suctione tempus fallendi, potandi, ludendi, et sexcentarum eius commatis deliciarum, quae nihil nunc, nisi vmbra sui inanem, maestumque desiderium reliqui fecerunt.

C

Fu-

Fuitne igitur haec prisca libertas, loci legibus et  
 priuilegiis, non tam ex humano placito, quam ex  
 ipsis rectae et incorruptae rationis fontibus, et diui-  
 nae sapientiae penetrabilibus haustis, communita?  
 Numne hoc disciplinae fulcro in optimis doctrinis  
 quibuscumque exulta est scholasticorum priorum  
 industria? hancine calcarunt virtutis, et honestatis  
 semitam? num ita isti homines ad vitam bene et  
 praeclare agendam, ad melioris fortunae cultum,  
 ad explenda olim in ecclesia, in republica sacra et  
 ciuili munia salutariter praeparati, et instructa illo-  
 rum pectora? Fuitne hic scopus parentum, cogna-  
 torum, ipsorumque? O egregiam libertatem, o li-  
 beralium mentium officina dignam! At salua res est:  
 neque sancta scholae huius disciplina tam *illiberalis*  
*libertatis* promeruit opprobrium. Ita viuatur libere  
 apud barbararum gentium iuuentutem! nostra ae-  
 tas, nostrum paedagogium aliam iuuenum vitam,  
 aliam libertatem exostulat. Superiori forsitan ali-  
 quando tempestate praeteruisa, atque ita praeter  
 legum priuilegiorumque mentem tolerata fuit bar-  
 bara illa, foeda, bonisque moribus ac studiis pesti-  
 fera licentia, quam sacro libertatis nomine cohone-  
 stant

stant iuuenilium animorum pestes; dudum vero hinc  
faluberrimo SUPERIORVM iussu ad Garamantes rele-  
gata est.

Vera liberalium, immo Christianorum animo-  
rum *libertas* est, lubricarum cupiditatum, prauorum  
exemplorum, malique daemonis seruitutem exuere,  
vitiisque, ad quae ea omnia incitant, dominari.  
Hoc posito fundamento, quum pravi nihil deside-  
retur, nihil eorum, quae exoptari possint, non li-  
cet. Libertatis huius amans abiecti et indigni nihil  
habet in animo, facit, quod sui est officii, neque  
se se a proposito scopo seduci patitur imaginariae  
delectationis illecebris, quibus irreparabile tempus  
inexcusabili errore disperditur. immo huius liber-  
tatis amans facit, quod iustum atque fructuosum  
est.

Quandoquidem vero in hac mortali vita nulla  
vel optimarum mentium societas sine intermixto  
prauorum consortio esse solet, ipsa vero iuuenum  
actas cerea est, et, nisi disciplina contineatur,  
humanae imbecillitatis procliuitate, exemplorumque  
seductione, a libertate in licentiam, certaeque per-  
niciiei praecipitium abripi se facile patitur; vobis,

o dilecti! sanctam sinceræ *libertatis custodiam leges* scholæ nostræ quotidie ante oculos positæ, præbent, quibus *dextram fidemque* vestram *libere* adstrinxistis. Hinc sane, qui honorifice de vobis fenserit, ea, quæ huic vestræ fidei, immo *rectæ rationi* aduersantur, ne quidem facere posse, aut velle crediderit. *Parentum, cognatorum, vestrumque ipsorum*, nisi me omnia fallunt, *libera voluntate* profecti huc estis tamquam ad mercaturam bonarum artium atque morum; non ad virtutis et doctrinæ corruptelas; non ad fugacis temporis dispendia, et necessariarum meditationum distractiones; non ad discursationis, venationis, aucupii, piscationis vana ludibria, inertiae luxuriæque adsuetudine molles animos corrumpere apta; non ad somnolentiam, numquam forte posthac, vbi desuescere iterum haud queatis, impune licituram, vel ad edormiendum auroræ musis amicæ consortium; non ad vagandum inter illicita; lacesseandos et illudendos innocentes, infames libellos conficiendos, voluptatem impuram sectandam, potanda et fugenda inebriamina, et quæ plura sunt legibus prohibita, quibus hæc SANCTI SPIRITVS officina, hæc vestra musea, piis musis

fa-

facra, profanari queunt. Solida scientia augeri, vitae morumque bonitate infici ex vestro ipsorum consilio debetis, et retineri intra legitimos honestatis et accuratioris ordinis terminos. quae diuinae et humanae leges, quae mandata sapientissimi Maecenatis nostri flagitant, ac praecipunt, iis fas est sponte, sancte, inuiolate obsequi, parere et obtemperare.

Ita *stabit libertas* vestra, o iuvenes, a vitiorum seruitute immunis: ita nihil non a nobis concedetur, quod ad propriam vestrum vtilitatem, voluptatemque licitam emendata voluntate exoptaueritis: ita *stabit priscum Neandrinae scholae decus*, et, propitio porro numine, multiugos alumnis suis reiue publicae sacrae et profanae fructus perpetim impertiendo, ad postremam vsque posteritatem gloriose perennabit.



factis, profanati, quibus. Solida scientia  
vires mortuusque boni, et verum  
consilio debent, et rebus  
tis et actionis ordinis terminis. quibus et  
humanis leges, quas mandata continent  
natis nostris sagitant, a  
sponte, tunc, inuoluntate obsequi, parte et obtem

Yc 965 A

X 26356 10

In vobis vobis, o iudices, a virtutibus  
finitur humanis: ita nihil non a nobis conceditur  
quod propriam vestram virtutem, voluntatem  
que vestram cunctas voluntate exoptantibus: ita  
vobis humanis virtutibus, et proprio merito  
nuntius, malitiosos aliorum suis rebus publicas  
factis et profanis finibus perpetui, sapienter  
ad postremam usque postulationem gloriose perca  
nabit.

M.C.





Yc  
965



Farbkarte #13

B.I.G.

IS MARTINI  
EDEL  
IS PAEDAGOGII  
L DENSIS  
ATIO  
DE  
ET LIBERTATE  
LASTICA  
LDAE FLORET

THVSAE  
COELERIANIS  
CXXVIII

BIBLIOTHECA  
MUSEAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)